



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu  
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas  
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.  
tribunali animam Deum verè quærentem paternè ...**

**Eisvogel, Veremund**

**Augustae Vindelic., 1727**

Dominica in Albis

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52716)

## III.

**V**enit clausis januis ad discipulos  
Christus. Et o quantus oritur  
metus. Dispellit Christus dicens : *Ego  
sum ; nolite timere.* Timendus non est  
Deus, sed diligendus. Quod timen-  
dum, solum peccatum est. Hoc si ti-  
meamus, nunquam habemus, cur Deum  
timeamus? fili! qualis hæc doctrina?

*Instructio meritoria.*

Saluberima. Exequamur, & ut Deus  
in conversatione nostros custodiat sen-  
sus, post mensam coram Sanctissimo  
Venerabili I. O. *Pater & Ave* recitemus  
cum desiderio : *Anima Christi Sanctifi-  
cane &c.* Sic socius erit inter pericula  
Jesus.

## Dominica in Albis.

## EXHORTATIUNCULA I.

**M**oriamur tandem sæculo, ut eò  
perfectiùs vivamus Christo tan-  
quam filii novogeniti. Sed quæritur :  
Quomodo? dico: Puritate, & candore  
mentis ac conscientiae. Ita hodierna  
monet Dominica in Albis. Fili! o si  
mundi fieremus toti!

*In-*

*Instructio meritoria.*

Votum hoc sanctum est : ut confirmet Mater pulchræ Dilectionis, oremus *Officium Majus*. Castam Matrem castus decet filius.

## II.

**P**Acem dat suam nobis hodiè Christus. Unde ergè tanta in cordibus tristitia ? fili ! audiamus S. Chrysostomum : *Nemo leditur, vel turbatur, nisi à seipso*. Omnis inordinatus affectus poena sibi est maxima. Curemus itaque, & sanemus, ne cum pace cordis amittamus & angelum pacis, Christum Dominum.

*Instructio meritoria.*

In actuali commotione nihil loquamur, sed vel orando, vel spiritualiter aliquid legendo, nos intra nos colligamus. Pro conservandâ autem cordis tranquillitate recitemus *Officium* de Dulcissimo Nomine Jesu. Pacem invenit, qui Jesum ore & corde diligit.

## III.

**S**Ic est ! visô Dominô gavisi sunt Apostoli. Profectò totum gaudium nostrum

strum esse debet solus, & unicus Deus. Ita D. August. Qui vult securè, & quietè gaudere, in eo gaudeat, qui non potest perire. Gaudium nostrum non est de hoc mundo. Cur tamen delectamur in eo?

*Instructio meritoria.*

Pateat cor nostrum soli Deo. Ergò ad ecclesiam nobiscum per trinam Visitationem. In prima recitemus *Officium de SS. Altaris Sacramento.* In secunda Rythmum S. Thomæ: *Adoro te devotè latens Deitas.* In tertia *Litanias de SS. Nomine Jesu. Visita, & visitaberis.*

Dominica II. post Pascha.

EXHORTATIUNCULA I.

**A** *Mor purus non est mercenarius,* ait S. Bernardus. O quàm rari Amatores puri! quærunt potissimi, quæ sibi honorifica, commoda, ac delectabilia; pauci, quæ sunt Dei & Jesu Christi. Ex quorum numero sumus? ô si paucorum!

*Instructio meritoria.*

Amor impurus, & mercenarius, ut  
cordi-